bis castigantibus vel Reges ipsi dicto erant audientes.

Quatuor Libri Regum historiam continent Judæorum 571. annorum, nempè ab orto Samuele A. M. 2849. usque ad transmigrationem Juda A. 3420.

Primus Liber historiam complectitur 100. annorum, ab a. 2849. usque ad obitum Saul a. 2949.

Secundus Liber excurrit 40. annos Regni Davidis, nempe ab A. 2949. usque ad 2989.

DISSERTATIO
DE ORIGINE, ET NUMINIBUS PHILISTHÆORUM.

PHilisthæorum origo in varias Criticos distraxit sententias. Convenit inter omnes, populos illos alienigenas Palæstinæ fuisse; quos Prophetæ ex insula Caphtor deducunt [a]. Sed quænam hæc Insula apud Veteres novosque Geographos æquè incognita? In nostro Commentario in Genesim 10. 14. conjecturas pro Insula Cypri congessimus. Sed ut ingenuè fateamur, adductæ aliàs conjecturę modò displicent, quippe qui originem Numinum Philistheorum scrutantes, veram simul ejusdem gentis patriam in Insula Cretę offendisse nobis blandimur. Quę nos in eam opinionem adducunt rationes in medium proferentes, Eruditorum censurę & judicio relinquimus.

a *Amos* 9. 7. *Jerem.* 47. 4.

Philisthęorum nomen alienigenas sonat; quod Septuaginta reddere consueverunt *Allophyli*, gens quę ex alia in aliam regionem transmigravit. Genuinum illius populi nomen erat *Cerethim*; quemadmodum ex testimoniis Ezechielis, Sophoniæ aliisque colligimus. In 1. Reg. 30. 14. legimus Amalecitas irrupisse in plagam meridionalem regionis *Cerethim*, nempe Philisthęorum, uti ex historia constat; cœpisse insuper, & vastasse Siceleg, Urbem in plaga meridionali Philisthęorum, Davidi sedem ab Achis concessam. David, cęterique post ipsum Reges Juda, corporis custodes habuerunt milites alienigenas *Cerethim* & *Pelethim*, qui è numero erant Philisthęorum (*b*), Davidis partes secuti, cum persequentem Saulem in regionem Philisthęam declinavit. Ezechiel 25. 16. ita Philisthęos alloquitur: *Ecce ego extendam manum meam super Philisthæos, & interficiam interfectores* (Hebr. *Cerethim*) *& perdam reliquias maritimæ regionis*. Sophonias 2. 5. ita in eosdem populos invehitur: *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum* (*gens Cerethim*). Unus igitur idemque populus habendus est Philisthęi & Cerethim; illud populum alienigenam designans, hoc patriam. Primum per contemptum nomen genti mansit; alterum avitum est, & genuinum.

b 1. *Reg.* 15. 18. *Legiones Cerethi & Phelethi & omnes Gethæi, qui secuti eum fuerant de Geth. Vide Hebræum, & nostrum Commentarii in hunc locum.*

c *Ezech.* 25. 16. *Sophon.* 2. 5. 6.

Septuaginta (*c*) reddunt nomen *Cerethim*, *Cretenses*, & *Ceroth*, *Creta*. Theodoretus in Sophoniam partem Philisthæorum ex Insula Creta non invitum accersiturum se significat. Sed plerique Interpretum derivare gentem ex Cappadocia malunt, ubi Insula Caphtor statuitur, è qua Moyses, Amos, & Jeremias Philisthæos deducunt. Moyses enim liquidò prodit (*d*), Mizraim inter cęteros filios etiam Caphtorim habuisse, *de quibus*, inquit, *egressi sunt Philisthim*. Jerem. 47. 4 *Depopulatus est Dominus Palæstinos reliquias Insulæ Cappadociæ* (Hebraicè Caphtor). Amos 9. 7. *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* (Hebraicè *Philisthæos de Caphtor, & Aramæos de Kir*). Sed quî Cappadocia, quę regio est continentis, Insula vocaretur? Ideò fortè, inquiunt illi, quòd ex uno latere Mari Nigro sivè Ponto Euxino alluitur; positum est autem in moribus apud Hebræos, ut Regiones omnes Maritimę indiscriminatim Insulæ appellentur. Sed hæc quàm facilè dicuntur, non ita facilè adductis rationibus probarentur; hoc enim sensu etiam Palæstina, Phœnicia, Arabia, Ægyptus Insulæ dicerentur. Ne autem in hæc incidamus absurda, dicamus oportet dissitas quidem à Palæstina regiones, unde non facile nisi mari transvectis iter est, Insulas ab Hebræis rerum Geometricarum imperitis haberi simul, & vocari. Sed hæc nulli minùs, quàm Cappadociæ conveniunt. Quærenda est Insula Caphtor in Mediterraneo, non in Oceano, ubi infrequentior erat navigatio, quo tempore Philisthæi in Palæstinam trasmigrarunt. Inter cætera saltem Mediterranei Insulas nulli magis, quàm Insulæ Cretæ, ea quæ dicta sunt omnia quadrant.

d *Genes.* 10. 14.

Quærenda est nempe Insula Palæstinis pervia, ampla, populorum numero florens, incolas autem habens vetustissimos, atque emittendis aliò non infrequentibus coloniis aptos, sermone verò parum à Phœnicio abludente, sicut & consonis cum illis moribus, legibus, & religione; cujus tandem nomen ad *Cerethim*, *Ceroth*, *Caphtor* reducatur. Hæc autem omnia in Insula Cretę ultrò se offerunt. Urbs est ibi vetustissima, &

e *Strab. l.* 20. *pag.* 330. *Plin. Apteron. Ptolom. Apteria.*

& inclyta *Aphtera* (*e*), cujus portus Sisamus. Notæ sunt etiam in eadem Insula Urbes *Teraphne*, *Tharra*, *Mons Tityrus*, & Satyri. Caphtor in Hebræo sonat pomum, sive malum granatum; atque malum cotonium Græcè *cydonium* appellatur. Porrò populi *Cydonii*, & Urbs cognominis, in eadem Insula celebres, amplum ejus regionis tractum occupabant. Facilè Græci *Cydones* seu *Cydonios* appellarunt, quos Hebræi Caphtorim. Cupressus arbor est frequens in ea Insula, & tanquam ejus soli avitam arborem describunt veteres (*f*); hanc Græci appellant *Kupariton*; quod satis accedit ad *Caphtor*. Sed melius nominis *Cerethim* vestigia in ipso Cretæ nomine servantur; quæ sanè Insula nonnisi sub eo nomine Græcis innotuit. Primum tamen ejus nomen fuisse *Aeriam* Plinius lib. 4. cap. 12. refert; deinde *Curetim*. Populi *Curetes* totâ prophanâ antiquitate celebrantur, quòd Jovem in specu montis Idæ innutriverint. Ex eodem fonte derivantur Urbs *Gortina*, & annis *Karath* (*g*), in quibus planè omnibus vestigia deprehenduntur nominis *Ceret*, *Ceroth*, *Cerethim*.

f *Plin. l.* 16. *cap.* 33. *Cupressus ..... huic patriæ Insulæ Cretæ.*

g *Callimach. Hymn. i Dian.*

Insula Cretæ florentissima olim & numero Urbium, & populorum habebatur (*h*). *Ingens, & centum quondam Urbibus habitata Crete*. Et Virgilius Æneid. *l.* 3. v. 104.

h *Mela l.* 2. *cap.* 7.

Centum Urbes habitant magnas, uberrima Regna.

Homerus in cathalogo Navigiorum eam appellat Insulam centum Urbium; quamquam alibi 90. tantummodo agnoscat (*i*). Primi omnium maris imperium habuisse creduntur (*k*), omniumque ferè Numinum matrem fuisse regionem historiæ veteres habenti, utì Cereris, Veneris, Dianæ, Apollinis, Jovis, Bacchi, Herculis. Cretenses sub Rege Minoe & deinde sub Rhadamantho longè lateque dominationem suam ad Insulas Archipelagi, & ad continentem prorogarunt (*l*); sicut & plures in varia loca miserunt colonias. Inter has non immeritò Cerethim, & Phelethim recensemus. Sanè nominis Cerethim in eadem Insula vestigia deprehendimus non obscura; sicut & clara apparent nominis Phelethim in *Pleto* sive *Fluto*, quem virum historiæ Tripoli in Creta (*m*) ortum ferunt, quod etiam nomen sonat in urbe Phalasarne.

i *Odyss.* T. 174.

k *Diod. l.* 5. *pag.* 238. *seu* 345. *Vide & Strab. l.* 10. *pag.* 331.

l *Vide Diod. ibid. & Herod. l.* 1. *c.* 137.

m *Diod. ibid. pag.* 236. 237.

Urbem Gazam in Palestina *Minoam* olim appellatam tradit Stephanus; quòd scilicet Minos Rex Cretæ una cum fratribus Eaco, & Rhadamantho in Palæstinam veniens nomen Urbi suum reliquisset *Minoam*, ac si diceretur Urbs Minois. Hæc in remotissima ætate vestigia supersunt deductę ex Cretensibus Philisthæorum originis.

Jupiter in Casio monte in finibus Ægypti & Palæstinæ cultus, malum punicum [quem Hebræi Caphtor, Græci Rhoian appellant] gerens exprimebatur, ait Achilles Tatius l. 3.

Porrò Cretenses gens sunt omnium, quas quidem noverimus, vetustissima (***): primitus eam Regionem tenuerunt, *Eteo-Cretes*, dicti etiam *Autochtones* i. e. è terra nati, quippè quorum origo lateret. Successerunt Pelasgi; deinde Dorici, quos exceperunt Barbaræ gentes variæ (*n*). Numero incolarum, & potentiâ florebant plurimùm tempore belli Trojani, utì in superioribus observavimus. Facile etiam conjicimus, veterem gentis linguam Phœniciam fuisse, vel saltem ad illam accessisse plurimùm, quemadmodum ex nomine Urbium, & locorum intelligi potest. In iis enim Phœnicia origo facilè deprehenditur, qua de re Bochartus. Porrò Philisthęorum lingua Hebræa erat, sive Phœnicia, & cæterarum gentium ejus tractûs, & Insularum Mediterranei ferè omnium. Herodotus (*o*) consentit Cretenses omnes origine Barbaros esse, non Græcos. De Creta hæc Homerus Odyss. T. ver. 175. *In ipsa quidem Achivi, in ea autem Eteocretes, Cydones, Dorenses que, Tricaices divinique Pelasgi*. Pelasgorum nomine designari Philisthæos idcircò suspicamur, quòd duorum ejusmodi nominum sonus non absimilis, eadem fermè significatio habeatur; sonant enim advenas, errabundos. Porrò nec in Græcia, Italia, Asia, Creta, obsidione Troję deerant Pelasgi. Vernacula *Eteocretum*, seu Cretensium genuinorum, sicut & Pelasgorum lingua non multum ab Hebræa abludebat, & consueto Hebręorum sermone, qui Philisthæi ipsi pariter Ceretim, Cretenses, & Phelethim appellabantur.

n *Ibid. pag.* 238.

o *Herod. l.* 1. *c.* 173.

Quanquam autem de Philisthæorum moribus, & Religione pauca memoriæ commissa supersunt, quæ tamen restant satis superque consensum produnt cum legibus & cultu Cretensium. De Cretensibus memoriæ proditum est, viros fuisse bellicosos, laborum belli jam inde ab ineunte ætate patientes (*p*). Arcu, & jaculis pro armis utebantur; Rempublicam administrabant sex Principes; & in rebus majoris momenti Senatum ea de re collectum consulebant. In Connubiis Lacædemonum leges servatæ, adolescentes in classes divisi victum habebant & vitam communem; quod sanè cum historia Samsonis quadrat, ad cujus pompam connubii Philisthæi 40. adolescentes assignarunt. Principes Cretenses populi suffragio electi Philisthęorum Satrapas satis referunt; ac bellicosa hujus populi indoles in Libris Sacris ultrò se prodit. Cretensium pronum ad vitia, mendacia potissimum & ignaviam, ingenium quis nescit? Paria Philisthæis exprobraremus, solis consultis Historiæ Sanctæ Libris. Celebrantur apud Prophanos Cretenses & Dactyli montis Idę, tanquam viri corporis robore, & strenuitate præstantes; nec deerant in Insula Cretæ Gigantes, quibuscum Jupiter manus conseruit (*q*). Scitum est autem è Philisthæis plures prodisse Gigantes; & plerique milites è turma *Cerethi & Pelethi*, Davidis partes sequuti, viri erant rerum strenuè gestarum famâ præstantes. Ex prælio autem Gelboe intelligimus, arcu & sagittis certasse Philisthæos (*r*).

p *Strab. l.* 10. *pag.* 631. *&c.*

q *Diod. l.* 5. *pag.* 234.

r 1. *Reg.* 31. 3. *Consequuti sunt eum viri sagittarii.*

Quinque Philisthæorum Numina occurrunt 1. Dagon, Deus in Gaza (*s*), Azotho (*t*) & alibi cultus; est enim apud Josue 15. 41. & 19. 27. mentio duarum Urbium

s *Judic.* 16. 12. 23.

t 1. *Reg.* 4. 1. *&c.*

Beth-Da-

Beth-Dagon, i. e. Templum Dagonis. 2. *Beel-sebub* Deus muscarum, in Accaron venerationi expositus (*u*) 3. *Astaroth* facilè confundendus cum *Venere Cœlesti*, Templo Ascalone erecto, teste Herodoto l. 1. c. 105. celebri. 4. Marnas Idolum quidem Scripturâ ignotum, sed apud alios tanquam peculiare Gazæ Numen celebratum (*x*). 5. *Berith* sive *Baal-Berith*. Porrò hæc omnia Numina, si veteribus Scriptoribus fides, originem referunt ex Insula Cretæ. Dagon Philisthæorum ipsa est Dea *Dictynna* Cretensium; quæ sanè *Dic-tinna* confundenda est cum *Dig-tin* sive *Dag-tan*; Dag & Dagon in Hebræo sonant, *Piscis*; *Thau* sive *Thannim*, magnus piscis cetaceus. Tradunt Cretenses nomine illo Dianam appellatam fuisse (*y*); quippè quæ insequentem Minoem fugitans cum in pelagum se projecisset, subjectis piscantium retibus excepta fuit (*z*). *Beel-sebub* facilè sub muscæ simulacro effingebatur, in memoriam innutriti Jovis in Monte Ida inter medias apes; cum autem apes illæ atram haberent muscarum formam, Deus in præmium accepti ab illis officii pullum colorem in aureum immutavit. Officii, inquam, accepti, cum illæ in nutriendo puero mella Nymphis sufficerent (*a*). Cum autem mons Ida celsissimo sit vertice, ventisque validioribus concussus, tum & sæviissimo frigori subjectus, alterum accessit à Jove insectis illis beneficium; nempè ut resistendi ventis haberent vim, tum & frigoris omnem sensum abstulit, quò scilicet dulcem in monte trahere moram possent. Si Astaroth cum Venere confundenda est, & Cretenses avitum esse Numen illud rati, summâ semper religione domesticam Deam coluerunt (*b*); non est cur rationes investigemus culti à Philisthæis, quæ colonia est Cretensium, Numinis. Tandem Stephanus Geographus testatur Marnam Gazæ ipsum esse Jovem Cretensium.

u 4. *Reg.* 1. 2. *&c.*

x *Hieron. ad Le.*

y *Dicæarch. in Cret.*

z *Vide Diod. l.* 5. *pag.* 236. 237.

a *Idem pag.* 233.

b *Diod. l.* 5. *pag.* 234.

Ex his omnibus facilè colligimus, Philisthæorum originem à Creta repetendam esse, quemadmodum ex nomine, moribus, armis, legibus, politiâ, linguâ, religione utriusque gentis probatur. Superest modò ut fusiùs de singulis Numinibus Philisthæorum disseramus.

Nostram hanc de origine Philisthæorum sententiam Criticorum nonnulli improbandam susceperunt (*c*), quibuscum contentiosum trahere funem in re adeò obscurâ & problematicè in utramque partem agitanda recusamus. Quæ tamen afferunt adversus nos rationum pondera, non ea planè censenda sunt, quę in aliam nos sententiam pertrahant.

c *Journal de Trevoux mensis Augusti* 1722. *pag.* 1376. *&c.*

Observant igitur 1. Sesostridem Ægypti Regem tot insignium expeditionum gloriâ clarum persecutionem omnium primum in Hebræos movisse non diu ante natum Moysem (*d*). Obiit ille post 59. Regni annos, quem Rameses ejus filius excipiens 66. annis regnavit. Sub Amenophi, qui post Rameſsem Ægypto præfuit, Hebræi regionem illam deseruerunt. Chronologicum hoc systema placet iis quibus nostra displicent; neque nos refutandum suscipiemus, quandiu *illi* non ut certam Chronologię hypothesim, sed ut probabilem tantummodo invexerint.

d *Vide P. Tournemine Dissert. in Marshamum Aprilis* 1702.

2. Authoritate Herodoti statuunt Ægyptiorum coloniam à Sesostride in Colchide relictam (*e*); ipsamque coloniam à Moyse nomine Casluhim designatam. Ex his deducti Caphtorim in vicinam Colchidi Cappadociam, ac maximè in *Siden* vel *Sidenam* Cappadociæ parvam quidem regionem transmigrarunt. Probat hęc nomen *Siden*, quod Græcis est malum punicum, sicut Caphtor Hebræis.

e *Herodot. lib.* 2. *cap.* 103. 104.

3. Quæ deinde regio, inquiunt illi, Chanaan & Judæa dicta est, appellabatur olim Palæstina; quòd in prima terrarum Orbis divisione Asiam ab Africa, portionem Cham à portione Sem, disterminaret. Post Chananęorum invasionem vetus Palæstinæ nomen finitimæ Ægypto regioni mansit; quam sanè regionem ætate Abraham & Isaac tenebant Principes Hevæi sub Philisthæorum nomine in *capp.* 20. & 26. Geneſis designati.

4. Addunt, quâ ducti ratione ignoro, Caphtorim, relictâ Cappadociâ, irruptionem feciſse in Hevæos, quibus pulsis ejectisque, totam illam sibi regionem, neque regionem tantùm, sed & nomen Philisthæorum (Hevæis peculiare) usurpasse, eâ planè ratione, inquiunt illi, quomodo Gothi domitâ Hispaniâ nomen sibi à devicta regione asciverunt.

5. Ad *Cerethim*, vel *Cretim*, à Scriptura interdum Philisthæos appellatos, quod attinet, nomen illi deducunt sivè ex colonia Cretensium in Palæstinam translatâ, sive ex singulari Philisthæorum in jaculando peritiâ, sive tandem ex Philisthæorum colonia in Cretam deductâ; undè facilè morum illa, & Numinum utriusque gentes affinitas.

Antequam in hanc sententiam quidquam moveamus, animadvertere juvat omnia hæc meram esse putamque hypothesim, non historiam rei, cujus nulla suppetant monumenta. Nec quidquam movcor Herodoti authoritate de Ægyptiorum colonia à Sesostride in Colchide relictâ, post ea maximè, quæ nos ad Gen. 10. 14 observavimus, & quæ pariter adversus hanc Herodoti historiam congessit Bochartus. Cum enim Sesostris prælio victus esset à Colchis, coloniam in eâ regione statuisse suam quis credat? Fac autem reliquerit; an illa ex Casluhim constabat? an illi nomen Colchidi suum commodarunt? Scitum est, Colchidis nomen ante Sesostridem regioni fuisse. Quo insuper argumento evincitur, Capthorim relictâ Colchide in Sidenam, inde in Palæstinam, brevi 100. annorum spatio migrasse? Neque enim post ortum Moysem, quem sub Sesostride natum statuunt, usque ad Hebræorum ex Ægypto secessionem, nisi 80. annorum spatium intercedit; & post 40. annos Philisthæi, è Capthorim deducti, in Palæstina florebant.

Tandem Jeremias 47. 4. & Amos 9. 7. Philisthæos ex Insula Caphtor accersunt. Quis, rogo, unquam Cappadociam Insulæ nq-

nomine appellavit? Solemne est quidem Hebræis, Insulæ nomen regionibus transmarinis, locis quæ mari alluuntur peninsulis, & regionibus nonnisi maritimo itinere à Judęa petendis tribuere. Ita de Jonia, Macedonia, Græcia, & Asia minori constat; nemo tamen assereret, omnibus maritimis regionibus commune Insularum nomen ab illis inditum. Alioqui enim Judæa, Ægyptus, Arabia, Insulæ dicerentur, quod nemini adhuc venit in mentem. Nemo unus, qui linguam & stilum Hebræorum calluerit, affirmandum suscepit, regiones omnes maritimas à Judæis communi Insularum nomine appellari.

Tenuis est prorsus conjectura, quæ ex Græca significatione nominis *Side* deducitur, ad probandam Caphtorim è Palæstinis originem. Potuit enim Urbi nomen indidisse sive malis punicis ferax solum, sive Urbis forma: etymon quin etiam illud aliundè fortè quàm ex Græco derivatur. Res enim dubitatione non vacat, an Moysis vel Sesostridis & Rameſsis ætate Græcus vernaculus sermo in ea regione obtineret. Corruit autem illico tota adversariorum fabrica, si nomen *Side* aliundè quàm ex Caphtorim deductum est.

At enim Septuaginta & post illos Interpretum turba, *Caphtorim* reddunt Cappadoces, quos sanè viros de origine Caphtorim instructos probè credere par est.

Hisce ego repono, 1. Septuaginta inter se committens, nempe Interpretes Græcos Pentateuchi, cum Interpretibus Ezechielis 25. 16. & Sophoniæ 2. 5. 6. qui sanè posteriores nomen Cerethim (Philistæis sinonymum) reddunt Cretenses. 2. Josephus (*f*) Cappadoces deducit ex *Mosech* filio Japheti, cum interim Caphtorim, & Casluchim solo nomine sibi innotescere testetur. 3. Aquila, origine Judæus, & clarissimus Scripturæ interpres, nomen Caphtor, & Caphtorim in Textu servavit. 4. Tandem Bochartus (*g*) Scriptores Judæos inter se non convenire demonstrat, ut Cappadoces pro Caphtorim constanter usurpent.

f *Antiquit. lib.* 1. *cap.* 6.

g *Chanaan lib.* 4 *cap.* 38.

Quæ verò est adversariorum persuasio, Philisthæos constituens primos Palestinę incolas ante Chananæos, tanquam Scripturæ repugnans prorsus abjicitur. Accersit enim Scriptura (*h*) Philisthæos ex Caphthorim Insulę Caphtor incolis (*i*) sicut & pulsi è sedibus Hevæi à Philisthæis produntur Deut. 1. v. 23. Legimus etiam non semel & iterum, sed pluries Hevæos populos esse Chananæos. Ex quibus omnibus tria deducuntur: 1. Vetustissimos omnium Palestinæ incolas haberi Chananæos. 2. Priores illos terræ cultores excepisse Philisthæorum coloniam, quam, uti tertio loco observamus, ex Insula Caphtorim deducendam constat.

h *Gen.* 10. 14.

i *Amos* 9. 7. *Jerem.* 47. 4.

Numquam evicerunt, neque evincent adversarii, primigenium Chananææ nomen *Palæstinam* fuisse. Nihil enim tale produnt Herodotus, Plinius, Mela, Ptolemæus in hanc sententiam laudati: & si quid proderent, eos testes rerum, quas minimè norant, abjicimus. Nunquam non insinuat Scriptura Chananæos vetustissimos esse regionis incolas. Docet Moyses Deut. 2. 10. Moabitas è sedibus suis *Emmim* expulisse; Ammonitas *Zonzommim* (*k*); Idumæos regionem sibi *Horręorum* usurpasse (*l*); ac tandem Caphtorim totam occupasse Hevæorum regionem (*m*). Quæ omnia operæ pretium Sacro Scriptori visum est animadvertisse, ut Hebræis ad occupandam Chanaanitidem, promissam illis à Deo regionem, animos adderet. Res ergo poscebat, ut simul & semel demonstraret, Chananæos ipsos veteres Philistheos è sedibus suis depulisse, nec tamen eâ de re quidquam prodit.

k *Deut.* 2. 20.

l *Deut.* 2. 22.

m *Deut.* 2. 23.

Exactissimus Chronologiæ calculus nullam aliam gentem Chananæis vetustiorem in Palestina constitui patitur. Chanaan, quo authore gens prodiit, non diu post diluvium natus est; quippe qui ætate esset jam grandior, ut maledictionem in se avi auscultaret; cum avus ipse Noe Vineam implantavit (*n*). Ex Chanaan undecim filii nati sunt (*o*). Quæ in constructione turris Babelicæ divisio accidit, ad 250. sive 300. post diluvium annum configuratur. Ex tunc autem florentissimam totius Orbis gentem Chananæam credi par est, quam alias habuisse sedes præter Palestinam nullibi legimus. Abrahami ætate, 250. annis circiter post turrim Babelicam, Chananæi jamdiu à pluribus annis quietam habebant regionis illius possessionem. Indicent ergo adversarii quando venerint, & quos regionis incolas depulerint.

n *Gen.* 9. 25. 26.

o *Gen.* 10. 15. *&c.*

Philisthæi jam inde ab ætate Abrahami potentissima erant populorum natio, quibus nec innumeræ deerant urbes, nec Reges, vetereſque regionis incolas Hevæos jam omnes depulerant. Erant ergo Hævei gens ex Chananæis referens originem, primigenii Palestinæ incolæ; quare vetustate superant illam, ab adversariis invectam, Casluchim, à Sesostride in Colchidem missam coloniam: adeoque & multo præcedunt tempore Caphtorim è Cappadocia deductos. Atenim Philisthæi illi Abrahamo, & Isaac coævi, ipsissimi sunt Hevæi posteri Chanaan, qui pariter *Philisthæi*, *nempe segregatores*, ideo appellabantur, quòd portiones Cham & Sem mędii distinguerent segregarentque. Bella ratiocinatio! 1. Cur inter se confundantur, quos Moyses non incuriosè distinguit? Cur Philisthæi simul cum Chananęis admiſceantur, cùm Scriptura sonanter admoneat, Philisthæos secundos ab Hevæis incolas in regionem venisse? 2. Philisthæorum nomen, quo sensu ab adversariis usurpatur, fruſtra in vetustis qua sacris, qua prophanis monumentis queras. Gratis invehunt adversarii, quin & contra omnem veri speciem, custodiam illam finium regionis Cham & Sem, tum & nomen *Philisthæi* datum populis regionem tenentibus in Africa & Asia inter Cham, & Sem, quicumque tandem populi illi essent sivè Chananæi sive Caphtorim origine.

Nihil moror si quis cum Theodoreto, suspicetur (*p*) Cretensium coloniam la-

p *In Sophon.* 2.

te-